

.vii. ITEM ALIA .

Venerandus est hic dies fratres karissimi
ab omnibus fidelibus . in quo natiuitas domini nostri iesu
christi . totum mundum noua ac preclara aduentus sui luce
resplenduit . in quo gaudent caelestia et terrestria .
hodie enim de caelo deus descendit ad hominem . ut in cēlis
homini prepararet ascensum . Hodie accipimus natum dei .
uirginis filium . omnium credentium saluatorem . hodie enim
nobis cælorum rex per uirginem nasci dignatus est . ut homi
nem perditum ad regna caelestia reuocaret . Gaudet ex
ercitus angelorum . quia salus aeterna humano generi
apparuit . Et ideo fratres karissimi sicut post anni circulum cèle
brare disponitis hunc diem . Ita huic diei debitum expec
tare debetis sermonem . Audite ergo filii dei adopti
ui . Audite et exultate in domino omnes iusti . ut uos rectos
esse possit dicere laudatio . Audite quod nostis . recolite
quod audistis . amate quod creditis . predicate quod amatis .
Predicamus ergo quia hodie christus natus est quem angelo nun
tiante concepit uirgo per spiritum sanctum . Deus est de patre .
homo de matre . de patre sine matre . de matre sine pa
tre . De patre sine tempore est . de matre sine semine .
De patre principium uitę . de matre finis est mortis .
De patre ordinans omnem diem . De matre consecrans istum ;
/14r/ Deus per angelum ad mariam protulit uerbum . et ipsa concepit filium .

Ó coniunctio sine macula facta . ubi maritus est sermo .
et uxor auricula . Talis ergo electa est uirgo de toto scili
cet mundo . quæ tantum haberet meritum . ut dei filium
in semet ipsa susciperet . et ante partum et in partu et post
partum . uirgo permaneret . Aue inquit angelus maria
gratia plena dominus tecum benedicta tu inter mulieres . quia
ecce concipies et paries filium . et uocabis nomen eius iesum .
ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum . Ác
si diceret . uirginitatis iura seruabis . filium habebis . et
nomen uirginis non amittes . Denuntiemus ergo salua
torem natum de uirgine . et infantem in presepio positum .
uigilantibus pastoribus ab angelis moniti adoremus .
Exhibeamus fidem uirtutibus . honorem sanctis testibus
prebeamus simeoni cognoscenti . et anne domino confitenti .
et iohanni baptizanti . et iordani baptismate eius purgato .
et spiritui sancto descendenti et manenti in eum . et cœlis apertis
secreta caelestia ei demonstrantibus . et patri desuper
testimonium perhibenti . et uirgini permanenti et stelle
fulgenti magis eum demonstranti . et columbę super eum descen
denti . et ipsi domino omnem temptationem satanę superanti . Facta
est ergo maria hodie fenestra caeli . quia per ipsam deus uerum
demisit seculis lumen . Facta est etiam scala caelis . quia per ipsam
deus descendit ad terras . Ait per ipsam homines mereantur
ad caelos ascendere . Ipsis autem licebit ascendere illuc .
quia deum crediderint ad terram per uirginem mariam descendisse .
Facta est ergo maria porta cœli . facta est ianua filio
dei . filium generauit . non ammittens uirginitatem . regem

/14v/ generauit castitatis . Primatum continens uirginitatis . Facta est restauratio feminarum . quia per ipsam tria mala quę soluta sunt . Nam æuae dictum est . In doloribus et tristitia paries . et ad uirum tuum subicieris et ipse dominabitur tui . Haec tria mala non solum non tetigerunt sanctam mariam . sed ab his per eam omnes feminę liberate sunt . Maledicta enim aeua olim fuerat quam nunc credimus per mariam ad benedictionem glorię remeasse . Benedicant igitur omnes feminę sanctam mariam . quia per ipsam saluę factę sunt . benedicant maxime sanctae uirgines . quia ex ipsa benedicitur inter mulieres quecumque perseuerauerit semper uirgo . Uenite ergo uirgines ad uirginem . et letamini . deponite nunc maledictionem pręuaricationis aeue . et benedictionem restorationis per sanctam mariam assumite . Expellite tristitiam concupiscentis . et gemitum parturientis abicie . ut solus uobis christus uirginis filius dominetur . Ueniant igitur uirgines ad uirginem . ueniant concipientes ad concipientem . ueniant parientes ad parentem . Veniant matres ad matrem . lactantes ad lactantem . ueniant ad iuuenculam omnes iuuenculae . Quia ideo omnes istos cursus naturae uirgo maria in se per iesum christum suscepit . ut omnibus ad se fugientibus feminis subueniret ; et sic restauraret omne genus feminarum ad se uenientium æua noua facta cum uirginitate . sicut omne genus uirorum renouat dominus noster iesus christus nouus adam factus . Lætentur igitur caeli . et exultet terra ; Gaudeant gentes . sanctam mariam laudantes et dicentes . O uirgo uirginum . quia nec prima tui similis uisa est . nec habere sequentem . O sancta et inmaculata uirginitas . quibus te laudibus referamus ne

scimus . quia quem caeli capere non poterant . tuo gremio contulisti ;
/15r/ et hodie saluatorem mundi ex utero genuisti . cui cuncta famu
lantur imperia . et cuius regni non erit finis . Gaudeamus ergo
fratres hodie . laudantes et benedicentes dominum . caelum terramque
regentem . quem adorant angeli in caelis . et omnes iusti in terris
dicentes . Gloria in ex`c`elsis deo . et in terra pax hominibus bone uo
luntatis . Imploremus ergo et nos omnes diuinam dei clementiam .
ut consortes fieri mereamur gaudiorum cœlestium cum eis . pres-
tante eodem saluatore nostro . qui cum patre et spiritu sancto uiuit
et regnat . per infinita secula seculorum. Amen.

a freely modified version of Pseudo-Augustine, *Sermo* 123 (PL 39, cols. 1990–91) =
Pseudo-Fulgentius, *Sermo* 36 (PL 65, cols. 898–900). AF I.7, with a different incipit.